



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Puellarum custodia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tent Principes ac magistratus, quibus maxima opus est vigilantia & circumspicione. Neque verò insidia tantum hostium, sed etiam blandimenta adulatorum timenda sunt illis. Mercurij virga erat auro incrustata; cujus oculos non perfringeret? erat pariter serpentibus cincta, Martiale teste, lib. 7.

Aurea cui torto virga dracone viret.

Quis non timeret, & caveret? ubi draco, ibi venenum, ubi aurum, ibi exitium. Hic fulgor quot excœcat, & subvertit! pro speculo caute læ, serviat nimum securis, Turni clypeus, de quo Æneid. 7.

At lævem clypeum sublatis cornibus Jo

Auro insignibat, jam fetis obsita, jam bos:

Argumentum ingens, & Custos Virginis Argus.

II. (b) Alterum hic documentum præbetur, Custodia filiarum sollicita. Mercurius non minus nequiter, quam crudeliter Jovis lenonem egit, & puellam sopito primùm Argo, deinde occiso subduxit. Idem nimis quam sæpe incuriosis parentibus accidit, quorum filias male custoditas seducunt, ac corrumpunt lascivi juvenuli. Juxta Hugonem Cardinalem in Cant. 2. Virginitas est lilium inter spinas, hoc est, inter procos; plerumque vulneratur. Quare? quia deest custodientium oculus. Plutarchus tradit statuam Veneris cum testudine seu cochlea sub pedibus, fuisse effectam à Phidia, ut nôrint filia, domus sibi custodiam curæ ac cordi esse debere.

Idem Palladis simulacro Draconem apposuit, quem pedibus Dea comprimeret, quò significaret, virgines pervigili cura continendas esse. Sanè draco ab acutissimo visu nomen habet, παρὰ τὴν ἀγρυπνίαν acutè videre. Quò spectat etymon nominis παρθέδος, quod Grammatici deflectunt à παρθένῳ τῆ μητρὶ, quòd virgo apud matrem manere debeat. Monet Siracides c. 42. *Super filiam luxuriosam firma custodiam, ne quando faciat te venire in opprobrium* Et ibidem: *Filia, patris abscondita est vigilia, & sollicitudo ejus aufert somnum.* In quæ verba Cornelius: *Filia patri suo affert occultam vigiliam; hoc est, oportet patrem vigilare in statum & mores filia, & perpetem sollicitudinem habere, ne filia à quopiam juvene decipiatur, & in flore juventæ flaccescat.* Nota est enim sexus hujus levitas, infirmitas, inconstantia. Triti versiculi:

Quid levius vento? fulmen. Quid fulmine? fama,

Quid fama? mulier. Quid muliere? nihil.

Sunt enim multi Pharaones, Sichemi, Thesci, Parides, Jafones,

I 2

plu-

(b) Puellarum custodia.